

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 1: De peccatis Caput 2: De invidia (15)

Isidorus de summo bono:

Livor alieni boni suum perimit auctorem.
Nam unde bonus proficit, inde invidus tabescit.
Homines prave viventes, sicut de bonorum lapsibus gratulantur,
ita de eorum itinere facto, bonique perseverantia confunduntur.
Invidus membrum est dyaboli,
cuius invidia mors introivit in orbem terrarum.

Nulla est virtus que non contrarium invidie malum.
Sola miseria caret invidia, quia nemo invidet misero,
cui nimirum non livor obicitur, sed misericordia adhibetur.
Multi etiam bonos imitari nolunt,
sed de bonorum profectibus invidie livore contabescunt.
Quo fit ut nec illi corrigantur a malo suo,
sed per invidiam deteriorantur, et bonos a recto studio,
quantum in ipsis est, si potuerint, depravare conantur.

Ita requirunt invidi additum male fame, per quam bonorum vitam maculent,
sicut querebant hostium sodomite, quo domum Loth nocituri intrarent.
Illi vero cecitate erroris parietes videbant, hostium non inveniebant.
Non aliter invidi videndo velut parietes virtutes dissimulant,
vitia vero perquirunt, per que conscientiam urant.

Liur alieni boni suum punit auctorem.
Nam unde bonus proficit, inde invidus contabescit.
Homines prave uiuentes, sicut de bonorum lapsibus gratulantur,
ita de eorum recte facta, bonique perseuerantia confunduntur.
Invidus membrum est diaboli,
cuius *invidia mors introiuit in orbem terrarum,*
sicut et superbus membrum est diaboli, de quo scriptum est:
Omne sublime uidet, et ipse est rex super omnes filios superbiae.
Nulla est uirtus quae non habeat contrarium inuidiae malum;
sola miseria caret inuidia, quia nemo inuidet misero,
cui reuera non liur obicitur, sed sola misericordia adhibetur.
Multi et bonos imitari nolunt,
et de bonorum profectibus inuidiae liuore tabescunt.
Quo fit ut nec illi corrigantur a malo suo,
sed per inuidiam deteriorentur et bonos a recto studio,
quantum in ipsis est, si potuerint, deprauare conentur.

Isidorus Hispalensis, *Sententiae*, 3.25.1-5
(CCSL 111, P. Cazier ed., pp.261-2, ll.2-19).

Ita requirunt inuidi aditum malae famae, per quam bonorum uitam maculent,
sicut quaerebant ostium Sodomitae, quo domum Loth nocituri introirent.
Illi uero caecitate erroris, parietes uidebant, ostium non inueniebant.
Non aliter inuidi uidendo uelut parietem uirtutes dissimulant,
uitia uero perquirunt, per quae eorum conscientiam urant.

Isidorus Hispalensis, *Sententiae*, 3.25.8
(CCSL 111, P. Cazier ed., p.263, ll.27-33).